

quis potestremam manum huic operi admoventis.

S. Theodor. quæst. in I. Reg. Prophetæ suorum temporum historiam scripserunt. Hic liber Syriæ dicitur Prophetia Samuelis.

Quo loco hic liber apud Hebræos habeatur. S. Hieron.

In secundo ordine sanctorum voluminum inter Prophetarum monumenta numeratur. Prophetia quantum ab historia discrepet.

quidem libri, ait, primam partem conscripsit idem Samuel: sequentia vero eius usque ad calcem, scripsit David. Quod tamen non videtur admodum necesse asserere, cum scriptura aperte doceat, qui fuerint rerum à Davide gestarum scriptores. Sic namque loquitur libri I. Paralip. cap. 29. *Gesta autem Davidis Regis priora, & novissima in libro Samuelis videmus scripta sum, & in libro Nathan Prophetae, atque in volumine Gad videmus.* Hoc scripturae testimonio manifestum esse arbitror, non modo, cui opus hoc debeamus, cuiusque stylo liber exaratus sit: verum etiam quis ultimam manum, post eius excessum admoventi, nimirum Nathan, aut Gad viri cum primis illustres, qui post eum vaticinandi gratia floruerunt, alter horum scilicet, reliquam historiam, à capite 25. quo eius mors refertur, & plangitur, ad postremam lineam continuavit. In quam sententiam scripsit sanctus Theodoretus, quaestionibus in lib. I. Regum, Prophetarum vnumquemque litteris olim mandare solitum fuisse, quæcunque suo tempore fieri contigisset. Accedere vero ad hæc, quod ipse liber I. Regum, cum apud Hebræos, tum etiam apud Syros, *Prophetia Samuelis* vocetur: negari igitur non posse, quin Samuel illius operis author habeatur. Nec tamen usque ad calcem, etiam de futuris post obitum suum narrationem præoccupasse intelligit: sed ab alio quoque Propheeta, qui eius proximè vestigiis institerit, congestis in vnum volumen, quæcunque à Samuele litterarum monumentis tradita comperisset, reliqua esse addita, quæ ad Saulis tempora pertinerent: sicque demum integram historiam usque ad Davidis inaugurationem esse contextam.

Quo verò ordine, loco, ac dignitate librum hunc habendum Hebræi censuerint, S. Hieronymus præfatione sua in libros Regum, ita explicat. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebræicè omne, quod loquimur, & eorum initium vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina suppulantur, quibus quasi literis & exordiis, in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri iusti eruditur infantia. Porro illa viginti duo volumina in tres classes distribuunt, quarum primam lex occupat, id est thorax *תורה* in qua libros quinque Moysi complectitur. Tertius ordo hagiographa possidet. Et primus liber incipit à Job: & secundum autem Prophetarum ordinem faciunt, & incipiunt ab Iesu filio Naue, qui apud illos Iosue ben Nun dicitur, deinde subtextur *סופהים* Sophetim, id est Iudicum librum, & in eundem compingunt Ruth, quia in diebus Iudicum facta eius narratur historia. Tertius sequitur Samuel, quem nos Regnorum primum & secundum dicimus. Igitur librum hunc inter Prophetarum monumenta, posteritati consecrata, Hebræi illi antiqui collocarunt: quæ ratione, non indicat, cum sine dubio Prophetia tantum ab historia discrepet, quantum tempus futurum à præterito, quæ longa intercapedine distita, coalescere non possunt. Neque enim Prophetia aliud est, quam futura rei certa & constans enuntiatio: historia verò, rei iam gestæ narratio est. Quomodo igitur hic liber, qui totus in repeten-

da præteritarum rerum memoria confunitur, non immeritò inter prophetica scripta connumeratus est? Nodum hunc soluit F. Brito ex ordine Minorum: Non enim, inquit, verbis duntaxat, quæ euentura sunt, longe antè prædicimus, sed etiam factis & operibus. Nec desunt exempla, quibus hæc solutionem confirmare possis. Nam Osee cap. 12. *Ego, inquit Dominus, rationem multiplicavi: & in manu Prophetarum assimilatus sum:* id est, operibus eorum, & rebus gestis, tanquam in tabula depictus sum, ad posterorum notitiam. Elaias autem cap. 20. legitur incesisse nudus, & discalceatus tribus diebus: in signum & portentum trium annorum captiuitatis venturæ super Ægyptum, & Æthiopiæ. Tamest igitur series narrationis huius libri historiam contineat, nullam autem futurorum euentuum prædictionem littera pollicetur: si quis tamen accuratius introspicat, animaduertet etiam, quæ describuntur, ea præ se ferre tyrum quandam futuri: vnde non sine causa obtinuit apud antiquos Prophetiæ locum. Verum, quoniam ea responsio, si admittatur, parem tribuit dignitatis gradum pluribus sanctorum monumentis, quæ inter hagiographa tertio ordine reponuntur, idcirco cum Hugone à sancto Victore respondemus, hunc librum Propheticum appellari, non quia prophetico stylo exaratus sit, sed quia Prophetam auctorem sortitus sit. Atqui ea quoque ratio Davidi fauet, & Iob, & aliis pluribus sanctissimis viris, qui & ipsi non pauca scripserunt, & prophetico munere præfiterunt. Hanc igitur postremam responsum, quæ obiectionem profus dissolueret, Brito attextit: triplici ratione quempiam Prophetæ sibi nomen vendicare, officio gratia, & legatione. Officio Prophetam dicimus, qui forte, seu alia qualibet ratione delectus, in dubiis Dominum consuleret, ac eius mandata referret: quales olim Moyses, & Iosue extitisse memoria proditum est. Gratia verò eum, qui cælesti beneficio ac favore supra vires humanas edoctus, diuina quædam mysteria panderet, quæ nec natura, nec disciplina aliqua inuestigari potuissent: quomodo Davidem atque Daniele fecisse eorum monumenta testantur. Legatione denique eum, qui à Domino missus, pro eo, vt inquit Apostolus, ad Reges, & populos legatione fungeretur, vt quondam Ionas. Quoniam verò Prophetæ non dicebantur, nec eorum opera, Prophetarum opera vocabantur, nisi qui aut legatione, aut officio prophetabant, licet diuinitus edocti mira de futuris prædicarent: idcirco David, & Daniel inter Prophetas non referuntur, quia nec eo munere ex officio functi sunt, nec legatione claruerunt: tamest prophetandi gratiam consecuti sunt, & reuera Prophetæ extiterunt. Prophetis porro, qui ex officio tales esse conferentur, describendorum publicorum monumentorum curam, ac studium S. Theodoretus supra mandauit. Quo etiam munere apud Gentiles, Sacerdotes eorum, & Vates plerumque functi sunt. De Chaldeis plerique testantur. De Ægyptiis præter ceteros hæc scribit Diodorus: Quæ omnia, scilicet Ægyptiorum gesta & mor e, sacrorum

Brito in prolog. S. Hiero. Duplex prophetandi ratio.

Hugo à sancto Victore.

Tribus modis quispiam Prophetæ dicitur.

Propheta apud Hebræos, Sacerdotes & Vates apud plerisque